

Philomela illa ab amore cantus appellationem sortita a-
vis est omnibus fermè notissima, paullo verò ignotior fabella à
Græculis hinc inde decantata, ac postea quasi per traducem in La-
tinarum literarum familiam derivata, quando aut Pandionis
familia aut Terei, Thracum R. mentio fit historica. Ista autem si-
ve fabula siue etiam, si Pausaniæ credimus, historia à Johanne Lu-
dovico Gottofrido, Viro doctissimo, qui elegantissimam simul at-
q; utilissimam operam Systemati Metamorphosew Ovidianarum
locavit, ex Nicolao Perotto hunc in modum narratur: "Pandion,
"Atbenarum R. cum bellicis copiis ab Tereo, Thraciæ R. adjutus fu-
"isset temporibus dubiis, eidem filiam suam natu majorem Prognen
"uxorem collocavit, ex quo matrimonio natus est Itys filius. Progne
"autem, cum jam per quinquennium marito cohabitasset, desiderio
"dilectæ sororis visendæ tacta petiit à Tereo, ut ad se illam Athenis
"adduceret. Profectus navi Thrax in Atticam vix precibus à Pan-
"dione socero impetrat, ut sibi concederet Philomelam, & ipsam
"visundæ sororis perquam cupidam. Ceterum jam antè impudico in
"puellam amore exarserat Barbarus in patriis sibi adibus visam, e-
"amq; ipsam, cum ad littora Thraciæ appulisset, in casâ quâdam
"densis silvis cinctâ vi superatam constupravit: neve posset effari,
"quod passa fuerat, de decus, linguam insuper amputavit infelici, e-
"amq; sub arctâ per annum habuit custodiâ. Philomela misera sce-
"lus affinis sui tela candida nendo intexuit, perq; famulam ad soro-
"rem Prognem misit, digitis ita efficiens, quod linguâ non amplius
"poterat. Progne verò adornato bacchantium habitu mulieribus
"Thraciis stipata sororem è stabulo liberat, cumq; ingentes animo
"iras amba concepissent, atrocissimum vindictæ genus meditata &
"executa sunt. Communem enim filium Ityn maculat regia conjux,